

Cäsar – De bello Gallico VI.17: Die religiösen Vorstellungen der Gallier

Deorum maxime Mercurium colunt.

Huius sunt plurima simulacra, hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur.

Post hunc Apollinem et Martem et Iovem et Minervam.

De his eandem fere quam reliquae gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Iovem imperium caelestium tenere, Martem bella regere.

Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea quae bello ceperint, plerumque devovent;

Cum superaverunt, animalia capta immolant reliquasque res in unum locum conferunt.

Multis in civitatibus harum rerum extractos tumulos locis consecratis conspicari licet;

Neque saepe accidit ut neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.